TENTAMINIS

DE

COLICA PICTONUM

APPENDIX,

DECADEM OBSERVATIONUM SISTENS,

AUTORE

JOANNE GRASHUIS.

AMSTÆLODAMI,
Apud *ISAACUM TIRION*, 1755.

Longum iter eſt per Præcepta, breve & efficax per Exempla.

SENECA.

26757

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LECTORI.

QUas ex adverſariis meis collegi, de *Colica pictonica*, Obſervationes, ea cum intentione publici juris facere quidem volui ut, quam in *Tentamine* propoſui, hujus atrociſſimi morbi medendi methodum, roborantium inprimis & adſtringentium ope, in exemplis profuiſſe liquido demonſtrarem. Facta nunc offero, ſed cum iis, quæ antea dicta ſunt, apprime convenientia, ut ex collatione horum cum ratiocinationibus, in *Tentamine* traditis, unicuique cordate, & ſine præjudicio, in rem inquirenti patebit.

L E C T O R I.

Hiſtoriæ, quas conſcripſi, breves ſunt. Morbi rationem & curationem, in pleriſque eandem, verborum accumulatione prolixe tradere minime opus eſſe duxi. Ratiocinia ad indagandas Cauſas, vel medicationis Indicationes formandas, intermiſcui vix ulla; utpote in *Tentamine* ubertim prolata, veris Theoriæ & Praxeos vel experimentorum fundamentis, ut puto, ſuffulta; a lectuo quovis, pro lubitu, examinanda.

Dabam Hornæ Weſtfriſiorum.

17 $\frac{1}{3}$ 55.

TEN-

TENTAMINIS
DE
COLICA PICTONUM
APPENDIX.

OBSERVATIO PRIMA.

VIGINTI & ultra annorum Virgo, debilis admodum conſtitutionis, acerbiſſimo Ventris dolore, circa umbilicum præcipue, diu erat vexata, per intervalla quidem ceſſante, aſt, tempore quodam præterlapſo, ſubito iterum vehementiſſimis torminibus obrepente. Nullis hic dolor remediis, a me, aliisque in arte exercitatis viris, ſubigi hactenus potuerat; quare eam ceu *Colicam pictonicam* (a), ſolis roborantibus & adſtringentibus ſuperabilem (b), tractari de-

 be-

(a) *Tentam. de Colica Pict.* §. I.
(b) §. XXIII. pag. 47, 48.

bere ſuſpicatus, miſſis aliis tam demulcentibus quam anodynis, vigeſimo octavo die Februarii, anni 1752, ſequentem præſcripſi mixturam;

℞. *Aquæ communis coctæ* Unc. viij.
Vini gallici albi. Unc. iv.
Gummi Tragac.
Catechu ā Drachm. i.
Aluminis crudi Drachm. ij.
M. Doſis ſit uncia dimidia quolibet ſemihorio.

I°. die Martii, Dolor multum fuit ſedatus. Mixtura exhauſta, eadem iterata eſt.

III°. Dolore immunis; neque nova exacerbatio. Perſiſtit in uſu Mixturæ præcedentis. Interim ad alvum, pertinaciter adſtrictam, ſolvendam, exhibitæ ſunt Pilulæ de *Extracto Rhei*, addito tantillo *Opii* (a).

Die VII°. Martii, ſatis bene ſe habet, unica tantum vice, doloris quandam acceſſionem paſſa, Cataplaſmate calido, ex farina ſecalina cum aqua cocto & ventri impoſito, ſedatam (b). Præſcrip-

(a) *Tentam.* § XXIV. pag. 51.
(b) § XXII. 2. pag. 44.

ſcripſi tandem hanc Formulam, in cujus uſu diu perſiſtendum juſſi.

℞. *Tincturæ Cort. peruviani,*
Catechu. ā Unc. j.
M.

Dentur guttæ quinquaginta ſæpius de die cum vehiculo aquæ communis (a). Sicque a dolore intenſisſimo, antea ſæpius redeunte, ſubito liberata eſt, neque ab eo poſthac, quantum ſcio correpta.

OBSERVATIO SECUNDA.

Die nono Julii, anni 1753, Amſtelodamo ad me literas dedit quidam ex familiaribus meis, querens filium ſuum eodem, quo olim laboraverat dolore inteſtinorum acerbisſimo affici, nulla cum intermiſſione perſeverante, inſigni cum debilitate, & perpetuis fere vigiliis conjuncto.

Juvenis erat hic Ægrotus viginti circiter annorum, præterito tempore, me non præſente, Dolorem colicum moleſtiſſimum paſſus; ſenſimque ex eo reſtitutus, debilis admodum diu manſit, non

(a) *Tentam* §. XXIII. pag. 47, 48

non ſine hectica febre quandoque intercurrente. Variis tunc a me, ad debilitatem & Febriculam adhibitis remediis, utcunque refectus, modica frui valetudine cœpit, uſque dum, de novo, in acerbiſſimum nunc Ventris dolorem inciderit.

Ex præteritis & præſentibus, *Colica pictonica* eum nunc laborare credidi. Præſcriptionem mixturæ in prima Obſervatione ſtatim memoratam, addita tantum *Extracti Corticis peruviani* Drachma unica, in reſponſum miſi, eodem, ut ante dictum eſt, modo propinandæ.

Paucos deinde poſt dies alias ab Ægroti patre recepi literas. Remedium a me exhibitum, quotiescunque a filio ſuo aſſumtum, ſtatim vomitu rejectum, ejusque uſum idcirco ſuspendi debuiſſe ſcripſit. In quibus rerum anguſtiis, Medicum in loco, experientiſſimum ad ægrum arceſſiverat, qui, morbo explorato, patri dixit, " Malefici, qui pœnaria rota „ afficitur, dolores, eo momento quo „ ipſius crura deteruntur, filii ſui dolo- „ res non excedere „ (a). Præter interna, ad ſopiendum dolorem adhibita, etiam fotum ex *Aqua* & *Lacte*, cum *Sa-*

po-

(a) Doloris ſævities inter *Colicæ pictonicæ* notas characteriſticas poſita eſt. *Tentam.* §. 1.

pone veneto miſtum, pannis laneis exceptum Abdomini imponere jusſerat præſens Medicus, nullo tamen ſequente levamine: quare de novo conſilium meum ardentiſſime petiit Ægroti pater.

Reſpondi, Medicamentum a me antea præſcriptum, egregium eſſe, morboque quo filius ejus laborabat, medelam attuliſſe; ejuſque uſum eſſe continuandum: aſt, minori forte doſi, & tardius repetita, facilius ab Ægroto ferri poſſe. Quo facto, & medicamentum retinuit, & dolor ſtatim ab inchoata aſſumtione fuit ſedatus; imo & perpetuo ejusdem, in longum tempus, extenſo uſu, nullis aliis interpoſitis, penitus ſublatus fuit, ut ex Patre, apud me præſente, poſtea certior ſum factus.

OBSERVATIO TERTIA.

Mercator Amſtelodamenſis per literas me conſulens, ſtatum ſuum & præteritum & præſentem graphice deſcripſit. Triennio præterlapſo, Febre intermittente, & quidem vehementiſſima correptum, largiori autem Corticis peruviani uſu, ab ea liberatum fuiſſe indicat. Quatuordecim vero poſt dies, *colico Dolore*, perpetuis vomendi conatibus ſtipato afficitur. Medicus ipſius ordinarius

 præ-

præſcripſit Enema, quod decies & ſexies, viginti quatuor horarum ſpatio iteratum, nullam tamen alvi ſolutionem concitavit. Interne datum fuit Decoctum, quod ingrediebatur magna quantitas *Herbæ Fumariæ*, *Florum Chamæmeli*, & ſimilium; item *Pulpa Caſſiæ* cum *Oleo Amygdalarum* mixta propinata fuit. Quæ omnia, tribus primis morbi diebus, effecerunt plane nihil. Ventri circa umbilicum applicatum fuit Epispaſticum ex *Cantharidibus*, veſicam ſatis ingentem excitans. Reſerabatur tandem alvus, Dolor ceſſabat, & poſt uſum quorundam, cum emollientium tum confortantium, Ægrotus a Dolore infeſtiſſimo ſervatus, ſatis ſanus fuit, exceptis tamen levioribus ejusdem Doloris acceſſibus, per vices recurrentibus, breviori autem, ut plurimum, tempore, adſumta Manna & potu Caffeæ calido, intermittentibus.

Menſe Junio anni 1753, poſt antegreſſum languorem & gravitatem membrorum ſubito iterum ſævillimus dolor eum occupat, præcedenti quoad omnia ſimilis, vehementia tamen ſuperior. Interdiu noctuque omni ſomno carebat, inquies nunc lecto incumbens, jam pavimento inſidens, quaquaverſum ſe volutans in perpetuas

tuas querelas & vociferationes erumpere coactus. Medicus denuo advocatus eum, eodem, ut antea, modo pertractavit. Alvus, ut ante, per tres dies obſtinate clauſa, nec Enematibus nec Medicamentis ſoluta prius. Præſcriptum ipſi fuit Decoctum ſatis forte ex *Cortice peruviano* cum *Rheo* & *Salab.* Dolor mitigatus fuit; perſeverabat tamen languor & gravitas totius corporis, inprimis circa articulationes; quæ valde ſenſiles erant. Strictiorem Diætam obſervans, ad priorem ſanitatem reverti videbatur; cum ex improviſo eadem *Colica* Ægrotum de novo invaderet, breviſſimo temporis ſpatio adeo increſcens, ut vix ejus præſentia tolerabilis eſſet adſtantibus; aſſultibus parturientium mulierum doloribus (ut ſe explicat Æger) ſimillimis. Medicus morbum *Colicam* ſimpliciter antea dixerat, *pictonicam* eſſe nunc adſeverabat (a). Ad Enema primum denuo refugium, aliquoties iteratum. Epiſpaſtica cruribus fuerunt applicata; *Caſſia* cum *Oleo Amygdalarum* interne data; Fomenta calida abdomini impoſita. Neque nunc alvi exoneratio, vel flatuum & borborygmorum eruptio morbum uncun-

(a) Doloris ſævitie & pertinacia, ut videtur, monitus. Vid. *Tentam.* §. 1.

cunque levabant, omnibus remediis renitentem, perpetuoque ingraveſcentem. In quo caſu & ſecundus Medicus in conſilium vocatus fuit, qui & morbum *Colicam pictonicam* nuncupavit. Quæ antea præſcripta & facta erant comprobavit, iiſque nihil additum eſt, excepto paregorico ex *Opio* una & altera nocte, largiſſima doſi, repetito, ſine ullo levamine. Lecto ſe adfixum tenere Medici imperarunt. Abdomini fomenta denuo applicarunt, Clysmata injecerunt, *Caſſiam* ingeſſerunt. Quibus per viginti & quatuor horas peractis, Dolor ceſſabat, alvus reddebatur ſoluta, Ægerque de die in diem in meliorem ſtatum redibat. Præſcriptus ipſi fuit Aquarum ſpadanarum uſus cum lacte, quantum poſſet, hauriendarum; interpoſitis Pilulis de *Extracto Corticis peruviani*, *Rheo* & *Sapone Veneto*. Per tres circiter menſes ingentem quantitatem aquæ ſpadanæ quotidie adſumſit, multum lactis; ſepoſito uſu infuſionis Caffeæ vel Theæ: vinum nullum niſi aqua ſpadana permixtum, rubrum inprimis. Abſtinuit a fructibus horæis, acetariis & ſimilibus; aëri & exercitio, juxta præſcriptum Medicorum ſe dedidit, alvum obſequioſam ſervans *Caſſiæ* ope & *Olei Amygdalarum*. Sic a vehemente dolore quidem, non

ta-

tamen a levioribus acceſſionibus, nonnunquam invadentibus, & Recidivam minantibus, ſe liberatum eſſe, experiri queritur; quam ob cauſam a me conſilium petit ad morbum, ſi fieri poſſet, integre ſuperandum, de ſtatu præſenti & morbi conſtitutione ſequentia ſuperaddens. Unum & triginta annos natus erat, excepto morbo *colico*, ſatis bene conſtitutus. Dolor quem, nunc majori nunc minori cum ſævitie, paſſus fuit, vel & adhuc patitur, Regionem epigaſtricam occupat, & circa umbilicum præprimis ſentitur, poſteriora verſus, hoc eſt, ad Lumbos ſeſe extendens, ac ſi partes internæ vinculo conſtringerentur. Ultimo tempore a motu paulo majore, ambulatione citatiori, Dolorem, nunquam non, certo ſaltem gradu, fere præſentem, incitari obſervavit (a), Laxativo autem facile auferri. Frigus pedibus receptum Doloris paroxyſmum intulit. Pedum quidam dolor obortus Ventris dolorem levare fuit viſus, quo ceſſante, dolor Ventris intenſior redibat Flatuum exploſio, ut & fœcum alvinarum liberalior excretio, quandoque Dolori magnum attulit levamen. Oris ſiccitatem, & linguæ ſingularem quan-

(a) *Tentam.* §. XXVIII. pag. 58.

quandam affectionem, futuri paroxyſmi indicium experitur.

Ex quibus omnibus, ab Ægroto exacte traditis, facile erat concludere, eum *Colica pictonica* ſævitſſima & pertinaciſſima, ex Febre intermittente, ut videtur, nata (a) laboraſſe, ejuſque cauſam nondum penitus fuiſſe ſublatam, unde novæ continuo recurrunt dolorum exacerbationes; omnia ex arte facta morbum tollere radicitus nequaquam potuiſſe: unde perpetua fere in Ægroto doloris cujusdam perceptio, Recidivam minitans, vel re ipſa inducens.

Ad cauſam proximam, vel eam conditionem, quæ morbi cauſam proximam conſtituit, ſi fieri poſſet, auferendam, ſepoſitis aliis indicationibus, ad amuſſim inſtitutis a Medicis præſentibus, ad eam ſolam confugi, " ſine qua levatio morbi „ impetrata raro tuta fidaque eſt; cum, „ hac ſola curatio aliquando integre ab„ ſolvitur, abſque ullo aliarum indica„ tionum præſidio " (b). Die itaque vigeſimo ſexto Octobris anni ſupra memorati 1753 ſequentem exhibui Formulam.

℞. *Cor-*

(a) *Tentam.* §. XXII. pag. 45.
(b) §. XXIII. pag. 48.

℞. *Cortic. Caſcarillæ* Dr. ij.
Catechu elect. Drachm. j.

Coquantur in *Aqua communi*; Colaturæ Unciar. xij addantur

Aluminis crudi in pulverem triti Drachmæ. ij.

Hujus unciam dimidiam quater in die, in principio, dein ſexies vel octies, quolibet die adſumendam juſſi. Perpetuum fere vel frequentiſſime repetitum uſum *Caſſiæ*, aliorumque alvum lubricantium remediorum interdixi, viſcera nimium quantum debilitantium: acetariorum vero eſum non penitus inhibui.

XIV°. Novembris reſcripſit, ſe per octidui ſpatium Medicamentum præſcriptum aſſumſiſſe, ſecundum regulas traditas. Tribus poſt inchoatum uſum diebus, dolorem quendam ipſi moleſtum ſenſiſſe, eo perfecte loco & modo, quo *Colicæ* ſuæ Recidiva ſe oſtentare antea erat ſolita. Alvus erat ſatis imo plus ſolito libera, fæces tamen compactæ. Poſt ſæpius interdiu repetitum remedium, ſingulis fere diebus dolorem quendam erat paſſus, majorem minoremve, tolerabilem tamen. Alvi egeſtiones cum augmento doloris minus frequen-

quentes, aliquando tantum vice unica, viginti horarum ſpatio, quandoque alternis tantum diebus repetitæ. Cœterum ſe bene ſanum habere adfirmavit.

Doloris augmentum a *Cascarilla* originem traxiſſe, non incredibile mihi viſum fuit. Quippe inteſtina in hoc morbo, ſæpe uſque adeo ſenſibilia ſunt, ut vel minimum quod ſtimulans eſt, ut *Cascarilla* v. g. ferre recuſent (a). Mutavi itaque Formulam, eandemque tradidi, quæ in *prima Obſervatione*, præ aliis mihi fere conſueta, data fuit; juſſique ut ſexies de die unciam dimidiam hauriret frigide.

Id Remedii genus, eo nunciante, ſibi bene ceſſit. Duplici autem de cauſa, doloris levioris acceſſum paſſum fuiſſe monet. Primo, valido edito nixu, quo famulo, in elevando onere graviſſimo opitulabatur. Secundo, obſtipata per biduum alvo. Metum tamen ejus majorem fuiſſe, quam rei neceſſitas urgeret, Ægrotus ipſe fatebatur: Dolore in primo caſu ſponte, in altero, unica *Mannæ* uncia aſſumta, penitus abeunte. Nihil dein doloris paſſum fuiſſe teſtatur, licet quodcunque ciborum genus aſſumſerit; alvo etiam ſua ſponte exiſtente libera.

Doloris acceſſiones a corporis exerci-

tiis

(a) *Tentam* §. XVI. 2.

tiis ſolito majoribus excitari, ſæpius obſervavi, & mecum alii (a): quare a magnis laboribus abſtinere juſſi, & in uſu ultimo præſcripti Medicamenti perſiſtere unam alteramve ſeptimanam; dein Tinctura confortante, cujus formulam addidi, ejus loco, diu uti.

XXIV°. Februarii anni 1754 denuo ſcripſit, a paucis diebus qualemcunque iterum dolorem percepiſſe, nec intenſum quidem, nec moleſtum valde, gravativum potius; cœterum, addidit, bene & perfecte ſanum eſſe.

Ægrotum, non ſine ratione, valde meticuloſum ne in ferocem *colicam* quandoque incideret cum animadvertebam, ab uſu Mixturæ nimis cito forte liberatum duxi; quare eum iſtius uſui denuo addixi, eadem doſi & eodem modo, ut antea adſumtæ; eousque continuandæ, donec nulla doloris Recidiva vel mitiſſima, per ſat longum tempus, apparuiſſet. Ad finem, ne omnis Medicina deeſſet, hancce Formulam guttatim adſumendam dedi.

Tinc-

(a) *Tentam* §. XXVIII. pag. 58.

℞. *Tincturæ Cort. peruv.* Unc. j.
Cinnamomi, Drachm. ij.
M. Ex Vehiculo Aquæ communis hauriend.

Sicque pertinaciſſima hac *Colica*, ejusque mitioribus acceſſionibus, in hoc usque tempus, liber eſt Ægrotus.

XX°. Auguſti, anni ejusdem, ipſum Amſtelodami, in tranſitu, ſalutans, narravit; ſe ante tres circiter ſeptimanas, media nocte, Doloris paroxysmo tam vehementi correptum iterum fuiſſe, ut impatiens, lecto ſe continere nequiverit; adſumta autem laudatæ jam ſæpius Mixturæ, qualibet ſemihora, uncia dimidia, Dolorem bihorii ſpatio penitus evanuiſſe, nec rediiſſe ullo modo hactenus.

Liquet hinc, Dolorem levare eſſe facile, ab ejus Recidiva conſervare difficile (a).

OBSERVATIO QUARTA.

Martii XXI°. 1754 Clarus Vir, mediæ ætatis, vicinæ urbis incola, per amicum conſilium meum petiit contra di-

(a) *Tentam.* §. XXVIII. pag. 56.

diriſſimum, quem ab aliquo tempore contraxerat, *Dolorem colicum*. In principio, ut narravit Ægroti familiaris, Dolor ceu Rheumatiſmus pertractatus fuerat; larga una alterave inſtituta Venæ ſectio, aliaque in ejuſmodi morbo, a Medicis perhiberi ſolita; omnia incaſſum. Brachiorum paralyſis tandem ſuperveniens & Medicum & adſtantes monuit, Dolorem ei qui *Colicam* comitatur, ſimilem eſſe, morbum *Colicam pictonicam* æmulari, eademque, ut hæc, methodo, curari debere. Dolor epigaſtricam Regionem occupans, non obſtante Paralyſi, perſeverabat, & vix quicquam levatus cum vehementia ſæviebat (a).

In hoc rerum ſtatu eadem quæ in *Obſervatione prima* tradita eſt, Mixtura exhibita fuit.

XI°. Aprilis per literas mihi indicavit Ægrotus, ſe per tres jam ſeptimanas Medicamentum præſcriptum uſurpaſſe; ab aliquot retro diebus ingens Doloris levamen ſenſiſſe, ejuſque vires, antea valde debilitatas increviſſe, adeo, ut unam alteramve horam e lecto ſuſtinere ſe potuerit. Interim vero Tuſſim ipſi acceſſiſſe moleſtam, eo quidem magis in-

(a) *Tentam.* §. XVI. 8. pag. 33.

infeſtam, quod ſingulis tuſſiendi conatibus Ventris dolor utcunque intendebatur. Cœterum appetitum vigere, alvum ex voto officio fungi.

XIV°. Eum coram inviſens, Tuſſi & laborioſa utcunque Reſpiratione vexari video, penitus emaciatum adhuc & debilem; ſputa ejicere quædam tenacia & ſpumoſa. Suſpicionem haud temerariam mihi excitarunt hæcce, Pectoris labem, vel Pulmonum ſenſibilitatem quandam adeſſe, adſtringentia fortiora, Aluminoſa inprimis non ferentem. Mutavi formulam, exhibui Decoctionem ex herbis emollientibus, additis ſimul quibusdam adſtringentibus, ſed vegetabilibus tantum, ne Pectori nocerent, quæ Ventri proficua eſſent. Effectus voto reſpondit. Reſcripſit enim XXVII°. Aprilis, ſe, poſt diſceſſum meum, in meliorem ſtatum tam cito rediiſſe, ut amici ejus eum viſitantes, mirarentur ſubitaneam ipſius ad ſanitatem reſtitutionem; negotiis ſuis obeundis parem eſſe, niſi pedes utcunque œdematoſi impedimentum ponerent; Dolorem quidem nondum penitus eſſe ſublatum, maximopere tamen imminutum. Poſterioris præſcriptionis uſum, diu continuandum exhortatus fui. Brevi autem poſt tempore nunciatum mihi eſt, Æ-

gro-

grotum ad priſtinam non tantum ſanitatem, ſed & vigorem redire, membrorumque reſolutorum facultatem integre reverti.

OBSERVATIO QUINTA.

JUNII menſis vigeſimo ſexto Anni 1754 ad me venit Vir generoſus, triginta circiter annos natus, vegetus & toroſus, de dolore Ventris conquerens, ab octiduo jam percepto, frigore pedum, ut ipſe ſuſpicabatur, contracto. *Colica pictonica* ſæviſſima ſe, anno præterito, alibi commorantem, ſub auſpicio Medici celebratiſſimi laboraſſe dixit, cujus primordia ab ipſo nunc denuo ſentiri conjectabat. Alvus ab aliquot retro diebus fuerat conſtipata. Præſcripſi quod ſequitur.

℞. *Florum Chamæm.* Manip j.
Rad. Rhei Drachm. ij.

Coquantur in *Aqua communi* ad Unc. xij Colaturæ addatur
Syrup. Diacodii Unç. j. (a)

Doſis ſit Uncia una qualibet hora.

XXVII°.

(a) *Tentam* §. XXI & XXII.

XXVII°. Me arceſſivit, lecto adfixus. Dolor per totam noctem vehementiſſimus, eamque penitus inſomnem transegit Ægrotus. Alvus, ut ante, manet adſtricta. Quare aliud Remedii genus exhibui ad Dolorem compeſcendum.

℞. *Corticis Tamariſci* Unc. ſem.

Coquatur in *Aqua pluviali*, horæ unius ſpatio, ſub finem addendo

Aluminis crudi triti Drach. ij (a)

Colaturæ Unciarum xij adſumatur omni hora uncia dimidia.

A meridie. Ab aſſumto Decocto anxietas quædam orta fuit, & Medicamentum per ſuperiora rejicitur. Poſt vo-

(a) Pleriſque formulis aliquid Aluminis addere ſoleo; non ſolum, quia ob conſtrictoriam virtutem relaxatas glandulas vel Folliculos mucoſos, mucum nimis tenuem, quam quod lateribus Inteſtinorum ſufficienter adhæreat, ſecernentes conſtringendo, morbo maxime proſit, (*Tentam.* §. XXIII. pag. 49.) ſed & quoniam alvum, ſi non aperit, ſaltem apertam ſervat; quod maximæ, in hoc morbo, utilitatis eſt. Ab eo autem abſtinendum eſſe in aſthmaticis, vel quibus labes quædam in pulmone eſt, obſervationes docent.

vomitum ſtatim nova doſis ingeſta relinquitur. Dolor tamen utcunque minor, inprimis circa umbilicum ſævit. Qualibet hora dimidiatam Decocti doſin adſumere ſuaſi, &, non obſtante vomitu, in uſu ejusdem perſiſtere (a).

XXVIII°. Nox magis tranquilla, ſomnus aliquis. Dolor quidem perſeverat, minori tamen cum vehementia. Nullus amplius ab aſſumto medicamento vomitus; contra, manet & ſopit. Jus carnium heſterna veſpera adſumtum Ventriculus tenere recuſavit. Alvus adhucdum pertinaciter conſtipata; quam, mitigato nunc aliquatenus dolore, reſerari poſſe (b), & debere credidi. Quamobrem

℞. *Decocti commun. pro Enemate* Unc. v.
Olei Liliorum albor. Unc. ij.
Electuarii Diacatholici Unc. ij.

Miſceantur & injiciantur ſub forma Clyſmatis.

Ad

(a) Sæpius expertus ſum, in principio omnia ea rejici, quæ paulo poſt retinebantur, & morbo levamen adferebant. Vid. *Obſervat. ſecund.*

(b) *Tentam.* §. XXIV. pag. 49, 50. §. XXII. 2.

Ad Uſum internum exhibui Decoctum priori ultimo præſcripto ſimile, nempe

℞. *Corticis Tamariſci* Drachm. ij

Coq. in Aqua communi per horam, ſub finem admiſcendo

Alumin. crudi Drachm. ij.

Colatura Unciarum xij detur in uſum ut præced.

Veſpere. Alvus a Clysmate ſoluta, dura quædam ſcybala excrevit. Dolor multo minor, præcipue circa Lumbos nunc percipitur. Jus carnium ingeſtum retinuit; interdiu aliquando dormivit.

XXIX°. Mane. Dolor qui adeſt, præcipue circa Lumbos vagatur, nec vix alius eſt; idcirco ſequens Clysma demulcens inſtitui curavi,

℞. *Olei Lini*,
Raparum, ana Unc. ij.
Unguenti Popul. Unc. ſemiſſ.

Miſceantur pro Enemate.

Circa veſperam. Enema per quinque horas fuit retentum, dien cum paucis

&

& induratis fœcibus ejectum. Dolor in Regione lumbari, Clyſmate intus reſtitante, nullus. Perſiſtendum eſſe in uſu Decocti exhortatus fui.

XXX°. Mane. Præterita nocte multum dormivit. Dolor vix ullus. Abdomen minus tenſum, magis ad priſtinum ſtatum redeuns. Decoctum nunc duplicata doſi ab Ægroto adſumitur. Alvus ſponte ſua nondum ſoluta; ad quam liberalius evacuandam ſequentem propinavi Hauſtum,

℞. *Aquæ coctæ*, Unc. ij.
Electuar. Diaprun. laxat. Drachm ij.
Pulv. Diaſenæ, Scrup. ij.
Syrupi Roſar. ſol. cum Sena, Drach ij.

M. F. Hauſtus.

Veſpere. Alvus ab Hauſtu quinquies fuit ſoluta. A Dolore nunc fere immunis eſt nobilis Patiens.

Julii I°. Bene dormivit. Sedes ex natura habuit; ſanitas integra redit.

OBSERVATIO SEXTA.

ANNI 1754, die XXXV°. Auguſti, Vir 54 annorum, ſputo ſanguinis, quem ante menſes aliquot paſſus erat, adhuc

debilitatus, poſt validas, antecedente die, inſtitutas corporis exercitationes, matutino tempore corripitur dolore ferociſſimo in hypogaſtrio ſiniſtro, ad medium ventrem, & verſus pectinis regionem ſeſe extendente; cum perpetua deſidendi & mingendi cupidine, fruſtraneis conatibus. Nec etiam flatus, ipſum valde angentes, ſurſum vel deorſum emittere, ullo modo poterat. Vomituriebat ſæpe; ingeſta fere quævis rejiciebat. Toto die cum dolore luctatus, nunc hoc, nunc alio remedio domeſtico, nullo tamen ſequente levamine, devorato, circa veſperam me arcerſivit. Dolor tunc temporis erat ſæviſſimus, Febris nulla, Urina ſanorum fere ſimilis, pauca tamen, & cum inſigni dolore exeuns. Calculos an cum urina reddiderit antea, inquirenti mihi reſpondit, nunquam. Præſcripſi ſtatim medicamentum laxativum ex *Rheo*; additis carminativis, partitis vicibus aſſumendum.

Hora decima ejuſdem veſperæ nulla mutatio; lecto incumbens, quaquaverſum, præ dolore, volutabat; quare Enema leniens & laxans ſimul injici curavi, ut

℞. Ce-

℞. *Cereviſiæ tenuis*, Unc. v.
Olei Lini, Unc. ij.
Electuar. Diacathol. Unc. ij.

M. pro Clyſmate.

XXVI°. Ab Enemate alvus ſtatim reſerata fuit, cum paucis fœcibus, ſed flatibus magno numero, & ingenti vi prorumpentibus; dolore tamen perſeverante, nec, niſi horæ ſpatio poſt injectionem, ſedato. Dein multum dormivit; dolorem vix ſentit. Mixturam cum integra *Rhei* pulverati Drachma fere exhauſit, ſine ulteriori ſede mota.

Sub veſperam. Dolor inter quartam & quintam pomeridianam, eadem cum vehementia fuit exacerbatus; claro indicio, inducias potius feciſſe, quam Ægrotum reliquiſſe. Vomitus quidem nullus; alvus obſtipata, licet perpetua ipſi, toto die, deſidendi fuiſſet cupiditas, irritis conatibus ſæpius tentata. Dolor maxime ſævit in medio infimo ventre, cui perpetuus ad veſicam exonerandam ſtimulus, & urinæ cum dolore excretio conjuncta eſt, pauca copia ſimul, & cum difficultate emiſſæ (a). Nulla Febris,

(a) Urinæ paucitas inter *Colicæ pictonicæ* phænomena a Towneo recenſetur, apud *Allen* Synopſ. ſuo

bris, nulla in pulſu incitatio, nulla in lingua ſiccitas, neque in urina color præternaturalis.

Ad Enema leniens & obvolvens confugi (a), quale hoc eſt

℞. *Olei Lini* Unc. iv.
Unguent. Popul. Drachm. ij.

M. & injiciantur pro Enemate.

Eandem indicationem, quod ad interna, ſecutus ſum.

℞. *Olei Amygdalar. dulc.* recenter preſſi, Unc. i & ſem.
Syrup. Roſarum ſolut. c. Sena,
Cichorei cum Rheo, ana Unc. j.

M. Omni hora Uncia dimidia.

XXVII°.

ſuo loco. Urina in quadam *Colicæ* ſpecie ſupprimitur juxta *Platerum.* " In ima Ventris ſede media, circa pectinis regionem ,, inquit, " Dolor ,, vehemens quandoque occurrit, qui cum urinæ ,, ſuppreſſione accidit. ,, *Prax. Tract.* II. *cap.* 13. Stranguriam moleſtam, & quæ Calculum ſæpius mentitur, *Colicæ pictonicæ* adeſſe, *Citeſius* dicit, *de Colica pag.* 170. " Urinæ ſuppreſſio & perpetua ,, mingendi cupiditas urget [*Colica* correptos], imo ,, vexat ſæpiſſime moleſti cujusdam ponderis in perinæo ſenſus, velut incumbentis calculi " dicit *Huxhamus. De Morbo colico pag.* 6.

(a) *Tentam* §. XX. 2. 1.

XXVII°. Nox penitus inſomnis. Ab enemate injecto nulla levatio doloris, per quinque horas retento; nec cum eo fæces exierunt ullæ. Dolor in hypogaſtrio non adeo moleſtus, ac quidem urinæ non omnimoda ſuppreſſio, ſed moleſtiſſima, & cum perpetuo ſtimulo excernendi neceſſitas. Vomitus nullus, alvus ut ante clauſa (a).

℞. *Aquæ coctæ*, Unc. ij.
Electuar. Diapruni laxat. Drachm. ij.
Pulv. Diaſenæ Scrup. ij.
Syrupi Roſar. ſol. c. Sena. Drach. iij.
M. F. Hauſtus.

Veſpere. Ab Hauſtu alvus bis fuit mota, cum levamine doloris, & urinæ difficultatis. Perſiſtendum duxi in uſu Eclegmatis ex *oleo Amygdalarum* &c. ultimo præſcripti.

XXVIII°. Ab aſſumto, heſterna Veſpera, jure carnium, doloris quædam exacerbatio, brevi iterum ceſſans. Noctu multum dormiverat. Dolor non quidem penitus evanuit, ſed levis eſt, nec Ægro moleſtus. Urinam copioſe ſatis & cum facilitate emittit, naturaliter coloratam. Sicque Ægrotus hicce a Morbo,

(a) *Tentam.* §. XXIV.

bo, cum vehementia invadente, Demulcentium & Evacuantium ope curatus fuit, neque hactenus, quantum novi, Recidivam paſſus.

OBSERVATIO SEPTIMA.

Septembris die ſeptimo Anni 1754, ex Zelandia ad me venit vir viginti ſex annorum; qui dolorem ventris aliquoties paſſus, ſed tolerabilem, & carminativo quodam domeſtico ut plurimum domabilem, XII° Julii *colico Dolore* intenſiſſimo fuerat correptus, in Regione præcipue umbilicali & hypogaſtrio ſiniſtro. Colicam flatulentam ſuſpicatus, qualem ſæpius expertus fuerat, ad ſolita carminativa confugit; Spiritum Aniſi ad diſcutiendos flatus aſſumit, ſine ullo levamine. Dolor e contra perpetuo ingraveſcebat, Ægrotum dies noctesque excrucians. Abdominis introtractio valida accedebat, diu perſiſtens (a). Convulſionibus torquebatur vehementiſſimis. Medicus accerſitus varia lenientia & anodyna exhibuerat, Clysmata inſtitui curaverat, nullo cum ſucceſſu. Multum infuſi calidi Caffeæ haurire juſſerat, unde non tantum nulla Doloris mitigatio,

(a) *Tentam.* §. I. pag. 2.

tio, ſed exacerbatio potius ſæviſſima & vomitus enormis. Alvus omnibus clyſmatibus reſolvi neſcia, cathartico tandem remedio erat ſoluta. Urinam parca copia emittebat. Dolor, poſt intolerabilem fere ſævitiem, ſedatus quidem, ſed brevi poſt, eadem cum atrocia redeuns; & per intervalla ceſſans, ſed perpetuo de novo Ægrum affligens, per integras ſex hebdomadas eum vexavit adeo, ut fere omnis ſomni expers, vitam traxerit miſerrimam. Medicus ipſius ordinarius, poſtquam & alios, ejus loci, in arte peritos viros conſuluerat, morbi, contra omnia, quæ ex arte adhibita fuerant, pertinacis, curationem deſperans, eum ad alios, conſilii capiendi cauſa, adiendos exhortatus fuit, ſimulac morbus eouſque inducias faceret, ut ex loco ſuo aliorſum ſe conferre valeret. Dum primum me conſulebat Facies ipſi erat pallida, vires admodum fractæ, Dolor non magnus, nunquam tamen penitus intermittens, neque & nunc. Miſſis aliis ſtatim ea præſcripſi, quæ pertinaciſſimio dolori vincendo maxime paria expertus, in præcedentibus Obſervationibus adhibita quoque fuerunt, hoc modo.

℞. *Aquæ coctæ* Unc. x.
Vini gallici albi Unc. ij.
Extract. Cort. peruv. Drachm. ij.
Alumin. crudi Drachm. ij.

Miſceantur. Doſis omni bihorio Uncia media.

VIII°. Septembris. Medicinam facile fert. Alvus libera eſt. Mixtura præcedente conſumta, eam iteravi ſequenti modo.

℞. *Aquæ coctæ* Unc. x.
Vini albi gallici Unc. iv.
Extract. Cort. Peruv. Drachm. ij.
Aluminis crudi Drachm. ij & ſem.

M. Omni hora Unc. j.

IX°. Doloris hactenus perpetui, mitioris licet, nulla perceptio. Poſt meridiem Ægrotus Zelandiam reverſurus, Febre erat correptus, cum horrore & frigore invadente; quam ex frigido aëre (erat tempeſtas ſolito frigidior) & moleſtiis itinerationis ſuſceptum judicans, eodem quo utebatur Remedio ſuperandam credidi. Ut in uſu ſequentis formulæ per aliquod tempus perſiſteret, ſuaſi.

℞. *Aquæ*

℞. *Aquæ coctæ*, Unc. x.
Vini gallici albi, Unc. iv.
Extract. Cort. peruv. Drachm. j.
Alumin. crudi Drachm. j & ſem.

M.

Secundo Octobris per literas mihi ſignificavit Ægrotus, ſe a Febre, poſt ſecundam invaſionem, liberatum fuiſſe; a *Dolore colico* immunem redditum manſiſſe. Ab uſu tamen Medicamenti ultima vice præſcripti, exacte continuato, utcunque tumidum & anheloſum fieri, cœteroquin perfecte ſanum eſſe. Formulæ præſcriptæ uſum ſuſpendi poſſe cogitavi. Nihilominus, ad confortanda viſcera, & avertendam, quantum fieri poterat, morbi Recidivam, ſequenti Remedio, eum per tres quatuorve ſeptimanas addixi.

℞. *Radic. Bardanæ*,
Symphiti major. ā Unc. j.
Cortic. Fraxini,
Tamariſci ā Drachm. j & ſem.

Coquantur in Aqua communi, per horam. Colaturæ Unciarum xv. adſumatur omni trihorio Uncia una & dimidia.

Quo per aliquod tempus aſſumto, Ægrotus priſtinæ ſanitati integre eſt reſtitutus.

OBSERVATIO OCTAVA.

Mediæ ætatis Femina, levioribus ab aliquo tempore *Colicæ* aſſultibus quandoque correpta, & Remediorum aptorum ope ab iis liberata, vigeſimo Decembris die anni 1754, adeo vehementi Ventris dolore ſubito afficitur, ut, mentis, vel animi deliquium paſſa, in terram caderet, quaſi jamjam moritura. Lecto impoſita utcunque ad ſe redibat. Quæ ad avertendam lipothymiam, vim vitæ inſtaurandam, & doloris paſſiones mitigandas ingerebantur medicamina domeſtica, ſtatim vomitu fuerunt rejecta. Dolorem vix tolerabilem conquerebatur. Ipſam inviſens in deſcripto ſtatu inveni. Facies cadaveris inſtar pallebat; pulſus erat parvus & contractus. Alvum pertinaciter obſtipatam aliquandiu fuiſſe intelligens, purgans quoddam remedium præſcripſi, additis demulcentibus & carminativis, per vices, ne Ventriculus ad vomitum denuo incitaretur, adſumendum.

XXI°. A Mixtura purgante exhauſta alvus ſemel tantum fuit mota cum excre-

cretione materiæ liquidæ, pauca copia. Venter tenſus & durus; Dolor ut ante; Urina turbida; Pulſus languidus & parvus; Febris nulla. Præſcripſi quod ſequitur Decoctum demulcens & carminans,

℞. *Radic. Fœniculi*, Unc. j & ſem.
Florum Chamæmeli, Manip. dimid.
Semin. Fœnic. Drachm. ij.

Coquantur S. A. in *Lacte vaccino.* Colaturæ Unciarum XIV add.

Sacchari albi, Unc. dimid.

Qualibet hora unciam dimidiam aſſumat pro doſi.

XXII°. Multas induratas fœces depoſuit cum levamine. Dolor ventris circa umbilicum multo minor; circa dorſum nunc magis moleſtus. Noctu per intervalla dormivit. Perſiſtendum duxi in uſu Decocti ultimo præſcripti.

XXIII°. Noctem fere totam inſomnem tranſegit. Dolor cum vehementia ſævit in Regione umbilicali, maxime tamen verſus latus ſiniſtrum. Alvus perpetuo ſoluta & liquida. Quapropter Decoctum exhibitum dolori vincendo im-

par eſſe animadvertens ad ſequentia confugere coactus fui.

℞. *Cortic. Fraxin.* Unc. j.

Coq. in *Aqua communi* per horam, Sub finem addendo

Catechu elect. Drachm. j.
Alumin. crudi, Drachm. ij.

Colaturæ Unciarum quatuordecim detur, omni hora, uncia una.

Inſuper Abdomini pannum laneum *Oleo Lini* imbutum applicari juſſi (a).

XXIV°. Præcedente nocte per horas aliquot dormivit. Dolor multo minor. Alvus nunc moderatè libera. Cibos aſſumſit & retinuit. Perſeverat in uſu Decocti ultimi.

XXVI°. Heſterno die fere immunis a Dolore. Cibos aſſumſit & cum facilitate digeſſit. Nox placida fuit. Alvus ex voto reſpondet. Levis tantum dolor in ſiniſtro latere adhuc ſentitur. Decoctum idem per diem unum alterumve continuandum ſuaſi; dein, ejus loco, uſum Pilularum ſequentium, per ſeptimanam unam

(a) *Tentam.* §. XXI. not. b.

unam vel alteram, donec viſcera priori robori reſtituta forent.

℞. *Extracti Cort. peruv.*
Gummi Tragacanthæ,
Aluminis crudi, ana Drachm. ij.
Pulv. Radic. Tormentillæ, parum.

M. Fiant Pilulæ ordinariæ magnitudinis, quarum ſex, ter quolibet die, aſſumendæ.

Sicque Ægrotæ priſtinam ſanitatem recuperanti valedixi; neque de dolore hactenus, quantum novi, conqueſta fuit.

OBSERVATIO NONA.

Triginta & octo annorum mulier de dolore conquerebatur circa ſcrobiculum cordis, a longo jam tempore moleſto, alio tempore mitiori, alio, majori cum ſævitie eam infeſtante. Quæcunque adſumſerit alimenta, brevi poſt evomit; dolore tantum eo tempore immunis, quo Ventriculus eſt vacuus, vel admodum pauca digerere cogitur. Dolor quandoque per thoracem, & ad latus ſiniſtrum extendebatur. Alvus quidem ſegnis, non tamen omnino con-

ſtipata. Cardialgiam eſſe *Colicæ pictonicæ* æmulam (a) credidi, eademque methodo ac dicta *Colica* curari debere.

XVI°. Die Februarii, anni 1752. Electuarium præſcripſi, quod ſic ſe habuit.

℞. *Conſervæ Menthæ*,
Roſarum rubr. ana Unc. ſem.
Pulv. Amyli,
Gummi Tragacanthæ,
Radic. Iridis florent.
Boli armen.
Catechu, ana Drachm. j.
Syrupi Diacodii, Unc. j.
Roſarum rubr. quantum ſatis.

M. Fiat Electuarium. De quo capiendus eſt Bolus ad magnitudinem nucis myriſticæ, omni hora.

XIX°. Electuario conſumpto, Ægrota minore dolore vexatur; cibos etiam ſolidos & retinet Ventriculus & fert ſine dolore. Alvus tempore intermedio, ſemel ſoluta. In uſu Electuarii pergendum ſuaſi, *Syrupi Diacodii* tantum parte quadam abſtracta.

XXIII°. Dolor non adeo intenſus, per in-

(a) *Tentam.* §. XXIX.

intervalla tamen recrudeſcens. Vomitus rarus. Cibi digeruntur. Alvus nunc penitus adſtricta.

℞. *Corticis peruviani* Unc. j.
Rad. Rhei, Drachm. ij.

Coquantur in *Aqua communi*. Colaturæ Unciarum xvi. add. *Syrupi Diacodii* Unc. j & ſem.

Doſis ſit omni hora Uncia dimidia.

XXVI°. Dolor valde imminutus. Alvus ex voto libera Præcedentis præſcriptionis uſum continuandum ſuaſi.

IV°. Martii. Quia dolor vix ullus reſtabat, ſequentem formulam per aliquod tempus uſurpandam dedi.

℞. *Tincturæ Corticis peruv.*
Caſcarillæ,
Catechu, ana Drachm. vi.
M. Doſis, guttarum quinquaginta, quater vel quinquies in die.

Hac mediante Dolor hicce, diu pertinax, fuit ſublatus.

OBSERVATIO DECIMA.

Femina quinquaginta annos nata, duris fracta laboribus, intolerabili fere, a longo tempore, correpta fuit *Cardialgia*, ob ſimilitudinem doloris & medelæ, *pictonica* mihi dicta (a); tanta ſæpe cum vehementia eam afficiens, ut nunc dolentem partem menſæ margini vel ſellæ, magna cum vi apprimeret, ut dolorem, quem levare neſciret, ſuffocaret; alio tempore, pavimento incumbens, vel reptabunda, querimoniis non tantum & ejulationibus, ſed & corporis volutationibus adſtantium vel aſperrimorum miſericordiam excitaret. Alvus ipſi erat pertinaciſſime conſtipata; ut haud raro, cum excrementis, inteſtinum rectum foras quoque propelleretur. Ab omnibus ingeſtis, non ſolidis tantum, ſed & fluidis, excepto lacte tepido, quod aliquando levamen attulit, dolor ingraveſcebat. Pleraque cum multa pituitoſa materie comite, vomitu rejiciebantur. Cujuſcunque generis remedia, ſtomachica, anodyna, aliaque multa diu, ſed ſine ullo fere effectu data. Morbus qui-

(a) *Tentam.* §. XXX. pag. 61. §. XXIX. " Invadit hæc inprimis virgines, mulieres, imbecilles. "

quidem nonnunquam ſedatus utcunque videbatur, ſed ſemper eodem cum impetu rediit.

II°. Martii, 1752. ſequentem præſcripſi ſimpliciſſimam formulam.

℞. *Aquæ coctæ*, Unc. xiv.
Aluminis crudi triti Drachm. iij.
M. Qualibet hora hujus Drachmas duas haurire juſſi.

III°. Dolor minor: ingeſta perfert, nec pituitam vomitu eructat

IV°. Dolor per intervalla adauctus. Ingeſta vomitu rejecit. Perſtat in uſu Medicamenti præſcripti.

VI°. Heri dolor aliquantisper, hodie multum imminutus. Nocte ſomnum habuit ſatis tranquillum.

XI°. Martii. Dolor perpetuo decreſcit; adſumta facile concoquuntur. Ad reſerandam alvum, ex more adſtrictam, de Infuſo *foliorum Senæ* tantum ingerere imperavi, quantum ſufficeret, ut ſedes ex voto ſequantur. Idem ac prius Remedii genus, leviori facta mutatione, in ulteriorem uſum continuandum dedi.

℞. *Aquæ communis coctæ*, Unc. xiij.
Alumin. crudi triti, Drachm ij.
M. Doſis & uſus ut antecedentis.

XV°. Dolorem vix ullum patitur (a). Ægrotam itaque ab ingrato Mixturæ uſu abſolvi, aliamque minus nauſeoſam formulam, ejus loco propinavi.

℞. *Tincturæ Cortic. peruviani,*
Catechu ana Unc. j.

Miſce. Adſumantur guttatim cum vehiculo aquæ.

Horum uſu malum tam diu moleſtum & vix tolerabile, penitus fuit ſuperatum, & priſtina rediit diu amiſſa ſanitas; qua læte uſa fuit per integrum fere biennii ſpatium. Vernali nimirum tempore anni 1754 de Doloris recidiva monuit (b). Dedi tunc,

℞. *Foliorum Malvæ* Manip. j & ſem.
Catechu, Drachm. j.
Alumin. crudi, Drachm. ij.

Coq. in *Aqua pluviali*. Colaturæ Unciarum xij. adſumenda Uncia dimidia qualibet hora.

Hacce Decoctione ſemel iterumque exhauſta, Dolor altera vice ſublatus fuit.

P. S.

(a) *Tentam.* §. XXXI. & inprimis not. b.
(b) *Tentam.* §. XXVIII.

P. S.

Vigeſimo quinto die Januarii, 1754. ad Pagum, aliquot horis Horna diſtantem, accerſitus vidi mulierem, ſexaginta circiter annorum, debilis admodum & ſenſibilis conſtitutionis, a quibusdam retro ſeptimanis dolore Ventris, in Regione epigaſtrica, ad ſcrobiculum cordis ſe, quandoque, extendente, correptam. Dolor ſæpe erat intenſiſſimus, per intervalla minor, ab adſumtis vel ingeſtis utplurimum auctus. Medicus ordinarius morbum nunc Rheumatiſmo, nunc Paſſioni hyſtericæ ſimilem judicans, varia ex hypotheſi præſcripſerat remedia. Dolor quidem aliquando inducias fecerat, ſed recruduerat ſemper. Admodum debilitata Ægrota vix ullos cibos vel capere vel ferre poterat.

Dolorem hunc, quoad omnia *Colicæ pictonicæ* æmulam cenſens, ad eam indicationem ſtatim confugi, a qua morbi ſublatio, præ omnibus aliis ſperari poterat. Præſcripſi itaque ſimilem formulam, ac in *prima Obſervatione* exhibita conſpicitur. Quam, me præſente, aliquoties aſſumtam facile ferebat.

Sequenti, poſt diſceſſum meum, die, per horas aliquot ſatis commode ſe habuit, ut ex literis, a Marito datis, licuit.

cuit. Hora vero undecima matutina alterius diei, in Lipothymiam incidit; ex qua tamen, erumpentibus flatibus, ad ſe redibat, facie pallida, mortuæ vel jam jam moRituræ ſimillima; deglutiendi & loquendi facultate fere abolita. Hora, iſtius diei, a meridie ſecunda, alvus, ſine adſumto laxante, libere ſoluta; Dolor valde ſedatus; ſomnus interdiu quidam ſatis tranquillus: vires autem omnes deficere videbantur. Sub veſperam denuo Lipothymia invadebat, quæ, *Spiritu Salis volatilis oleoſi* naribus ſuppoſito ceſſabat, borborygmis magna vi erumpentibus. Ipſa, ſe mortem appropinquantem experiri, adſtantibus indicavit, & brevi poſt placide obiit. Perforato forte inteſtino, ſæviente morbi ferocia & diuturnitate, in quo dolor ſe fixerat.

Hancce Obſervationem præcedentibus, quæ felicioris fuerunt eventus, ſubnectere quidem volui, ut conjecturam, quam de cauſa mortis ſubitanea, *Colica pictonica* decumbentium, non ſine ratione, me fovere puto, cum Lectore communicarem. Credo etenim, Inteſtinorum vel & Ventriculi perforationem, ſeu exeſionem, in hocce morbo, citiſſimam & inopinatam mortem ſæpe inferre; quod Anatome practica, indubiis exemplis, confirmare videtur. De Muliere, intolera-

bi-

bili dolore, modo ſupra, modo infra umbilicum, agitata, obſervationem dedit *Bonetus*, in cujus diſſecto cadavere inteſtinum fiſſum inveniebatur. In Ruſtici cadavere, poſt diuturnas Ventris torſiones longior in inteſtino fiſſura inventa eſt (a). Idem ex Wepfero adnotat, in colico Dolore inteſtina interdum diſrupta fuiſſe (b). A continuo cardiogmo & vomitu ſubſtantia Ventriculi, circa medium, exeſa reperta fuit (c). De Ventriculo, poſt longe toleratum dolorem, perforato exempla adducit (d).

(a) *Bonet.* Sepulchr. anat. Tom. II. pag. 209.
(b) ibid. pag. 266.
(c) ibid. pag. 97.
(d) ibid. pag. 81, 85.

F I N I S.